



Decisiones Sacramentales, Theologicæ, Canonicæ, & Legales

In Quibus Tota materia Sacramentorum, Theologiæ Moralis, Juris Canonici, & Quæstiones plurimæ Juris Civilis explicantur, dilucidantur, & traduntur, Eruditionibus, Historiis, & Exemplis adornatæ ; Opus Episcopis, Vicariis, Parochis, Confessariis, aliisque Studiosis utile, ac jucundum In Libris novem ...

De Sacrosancto Missæ Sacrificio Decisiones

Chiericato, Giovanni Maria

Augustæ Vindelicorum, 1730

Decisio XXXI. Argumentum. Essentia Sacrificii Missæ in qua actione consistat? An in oblatione ante, vel post Consecrationem? vel in ipsa Consecratione, aut fractione, sive sumptione Hostiæ? Tres ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94659](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94659)

culatam Hostiam, &c. Nec non *Offerimus Tibi Domine Calicem salutaris, &c.* Et nihilominus illud, quod tunc Sacerdos tener in manibus est substantia Panis, & Vini; unde, licet illa oblatio non sit formaliter immolatio, saltem indicat, illud, quod tunc offertur, esse materiam Sacrificii, quatenus constat ex Pane, & Vino, tanquam materia transeunte; & ex termino, à quo; non tamen est res, quæ propriè, ac principaliter ex intento offertur; seu Victimam, quæ immolatur, & sacrificatur. Ratio illa est; quoniam substantia Panis, & Vini in Sacrificio Missæ destruitur in protestationem divinæ potentie; ergo habet naturam, & qualitatem Victimæ; quia tamen ejus destructio non est primariò, ac per se intenta; sed secundariò ad verificanda verba consecrationis, & ad introductionem Corporis, & Sanguinis Christi sub speciebus, quæ in hoc Sacramento sunt per se, & primariò intenta; ideo substantia Panis, & Vini nequit esse Victimam propria hujus Sacrificii; sed solum spectat ad illud, ut terminus, à quo; & ut materia transiens, quæ ad præsentia rei principaliter intentæ corrumpi debet. Ita Suarez *d. disp. 75. sect. 2. Vers. Dico ultimò.* Et Mastrius *d. disp. 4. quest. 4. sub num. 71.*

Tandem quò ad species Sacramentales, etiam de ipsis plures insignes Theologi concedunt, affirmari posse, eas habere qualitatem Victimæ in Sacrificio Missæ non principalis, & primariò intentæ; sed ut quid minùs principale, atque secundarium. Id probant auctoritate, & ratione. Deducunt auctoritatem ex *cap. Hoc est. De Consecrat. dist. 2.* ubi dicitur, *Hoc Sacrificium duobus constare, visibili elementorum specie; & invisibili Domini Nostri IESU CHRISTI Carne, & Sanguine.* Ergo Species Sacramentales habent aliquid spectans ad Victimam qualitatem. Ratio verò est duplex; Una, quia Victimam in Sacrificio debet esse sensibilis; idcirco ut Victimam in Sacrificio Missæ sit sensibilis, & humano usui accommodata, ipsæ Species dicuntur pertinere ad rationem hujus Victimæ; nam ipsæ faciunt, quòd vera, & propria Victimam, Corpus scilicet, & Sanguis Christi reddatur sensibilis, juxta finem, & intentionem ejusdem Christi; qui, ut ait Concilium Tridentinum *dist. sess. 22. cap. 21.* *Ut delecta sponsa sua Ecclesia visibile, sicut hominum natura exigit, relinqueret Sacrificium, Corpus, & Sanguinem suum sub speciebus Panis, & Vini Deo Patri obtulit, ac sub earundem rerum Symbolis, Apostolis, eorumque in Sacerdotio successoribus, ut offerrent, præcepit.* Altera ratio est, quia Species ipsæ valde immutantur; nam in consecratione à subjecto abstrahuntur; & in sumptione consumuntur; quòd est proprium Victimæ, & Hostiæ in Sacrificio immolatæ. Suarez *d. disp. 75. sect. 1. Vers. Dico quartò.* Et Mastrius *in cit. disp. 4. q. 4. num. 73.*

Sed tria obstat videntur. Primum est: Si Species Panis, & Vini rationem Victimæ haberent, & Hostiam oblatam integrarent, Christus non esset tota Victimam, & tota Hostia, sed pars Victimæ, & Hostiæ. Hoc autem est contra dicta Patrum, qui affirmant, Christum esse integram Hostiam in Sacrificio Missæ. Secundum est: Victimam in hoc Sacrificio est dignitatis infinitæ; sed tales non sunt ipsæ Species Sacramentales. Ergo non convenit, ut in hoc Sacrificio offerantur tanquam pars Victimæ infinitè dignæ. Tertium est; si Species Pa-

nis, & Vini pertinerent essentialiter ad Corpus, & Sanguinem Christi, qui est Victimam oblatam, sequeretur, quòd non esset idem Sacrificium, quòd offertur in Missa, & illud quòd oblatum fuit in Cruce; quòd est contra Trident. *dist. sess. 22. cap. 2.* affirmans unam, eandemque esse Hostiam, sola offerendi ratione diversa. Ita Vasquez *disp. 223. num. 43.* Coninch. *q. 83. art. 1. dub. 4.* & Gavius *de Sacrificio Missæ disp. 1. quest. 6.*

His tamen non obstantibus alii gravissimi Theologi sustinent, Species Sacramentales Panis, & Vini intrinsicè pertinere ad Victimam in Sacrificio Missæ oblatam, in quantum ipsa Victimam oblatam non est Christus nudè sumptus, sed ut unum compositum Sacramentale, constitutum simul cum ipsis Speciebus. Ad argumenta verò contraria respondent; & primò ad primum; quòd Species Sacramentales non considerantur tanquam substantia Victimæ oblatæ, quæ est Christus, sed tanquam accidentia, sub quibus continetur Christus; & à quibus ipse Christus redditur Victimam, & Hostia sensibilis in Missæ Sacrificio. Igitur ipsa Victimam, & Hostia est solus Christus; & ipse solus complet totam Hostiam, & totam Victimam Sacrificii, in quo principaliter attenditur substantia rei oblatæ; secundariò autem accidentia, quæ non duplicant ipsam substantiam. Ad secundum respondent, & concedunt, Species non esse dignas, ut offerantur in hoc Sacrificio tanquam pars æque principalis; secùs ut minùs principalis, & quasi extrinsecum Victimam indumentum. Ad Tertium negatur se- 9 quela, quia ut sit idem Sacrificium hic, quòd fuit oblatum in Cruce, sufficit, ut sit idem substantiale individuum, estò sit accidentaliter diversum, quia individuat non desumitur ab accidentibus, sed à substantia; ergo variatis accidentibus, modò non 10 varietur substantia, semper manet idem individuum; & sic eadem est Hostia, atque Victimam, quoad ejus substantiam, quæ fuit immolata in Cruce, & quæ offertur in Missa; estò discrimen existat circa accidentia, quæ sunt Species Sacramentales; ut doctè dissertit Suarez *d. disp. 75. sect. 1. Vers. Dico quartò.* Et Mastrius *d. disp. 4. qu. 4. num. 74.* nec non in sua Theologia Morali *disp. 19. num. 41.*

DECISIO XXXI.

ARGUMENTUM.

Essentia Sacrificii Missæ in qua actione consistat? An in oblatione ante, vel post Consecrationem? vel in ipsa Consecratione, aut fractione, sive sumptione Hostiæ? Tres Sententia Theologorum referuntur, quorum aliqui essentiam Sacrificii ponunt in Consecratione; alii in sumptione, alii in utraque simul. Fundamenta, & rationes harum opinionum, & præcipuè pro tertia, quæ eligitur. Quid sit Missa sicca? An licita? An audienda de præcepto? Sacerdotes consecrantes in Missa alta voce, an mortaliter peccent?

SUM-

SUMMARIU M.

- 1 Missæ actiones quinque, de quibus disputatur, an sint de essentia Sacrificii?
- 2 Oblatio Panis, & Vini in Offertorio Missæ an sit de essentia Sacrificii?
- 3 Essentia Sacrificii Missæ an stet in consecratione? & num. 13.
- 4 Oblatio post consecrationem an sit de essentia?
- 5 Fractio Hostiæ in Missa an sit de essentia Sacrificii.
- 6 Sumptio Sacramenti in Missa an sit de essentia Sacrificii? & num. 18.
- 7 Oblatio in Offertorio antiquitus non fiebat.
- 8 Consecratio an sit destructiva Victimæ in Missa?
- 9 Oblatio simplex non est Sacrificium.
- 10 Hostia si cadat in Calicem, quid agendum?
- 11 Communio fidelium sit etiam extra Sacrificium.
- 12 Sententia tres Theologorum circa essentiam Sacrificii.
- 13 Consecratio in Missa est actio essentialis Sacrificii.
- 14 Consecrationis verba ponunt Corpus, & Sanguinem Christi separatim.
- 15 Victimæ destructio physica an sit necessaria in Sacrificio?
- 16 Missa est Sacrificium commemorativum Sacrificii Crucis.
- 17 Productio rei non existentis an satis sit ad essentiam Sacrificii?
- 18 Sacrificium cruentum in Cruce completum fuit in morte Christi.
- 19 Communio in Missa representat mortem Christi.
- 20 Communio in Missa est destructio Victimæ immolata.
- 21 Parasceves die an Missa sit Sacrificium?
- 22 Participare de Altari an sit participare de Sacrificio?
- 23 Sacrificium an sit, si Sacerdos in Missa non se communicet?
- 24 Sacerdote moriente ad Altare post consecrationem, quid agendum?
- 25 Sacrificii Missæ essentia consistit in consecratione, & sumptione simul.
- 26 Oblatio Victimæ immolanda, & ejusdem destructio sunt de essentia Sacrificii.
- 27 Consecrare, & offerre Hostiam est unum, & idem.
- 28 Elevatio Hostiæ, & Calicis in Missa fit in omnibus Liturgiis.
- 29 Forma ordinationis Sacerdotum quæ?
- 30 Offerre Hostiam est eam ponere immolandam in Altari?
- 31 Oblationes verbales Hostiæ, quæ fiunt in Missa, sint ceremoniales.
- 32 Abraham sacrificabat filium nullis præmissis oblationis verbis.
- 33 Sacrificii essentia prævalet præcepto de jejuniis servando in Communione.
- 34 Consecratio, & sumptio in Missa non sunt duo, sed unum Sacrificium.
- 35 Consecratio in Missa est pars essentialis magis principalis.
- 36 Missa sicca quid sit? Et an de præcepto audienda? Et an licita?
- 37 S. Ludovicus Rex Galliarum captivus apud Saracenos, audiebat quotidie Missam siccam.
- 38 Melitenses in irremis audirent Missam siccam.

- 39 Pueri an peccent recitando Missas siccas.
- 40 Bubulcus ausus celebrare Missam igne cælitus consumptus.
- 41 Celebrans quando graviter peccet, proferendo alia voce verba consecrationis?

Quia plures actiones exercentur in Missa, quibus hoc Sacrificium perficitur, disputant Theologi, quanam ipsarum verè, & propriè spectet ad essentiam Sacrificii? & in qua essentialiter consistat Sacrificium? In qua quidem disputatione Scholastici satis obscurè, & valdè prolixè se gerunt; nos autem obscuritatem, & prolixitatem evitantes, ea quæ scitu necessaria sunt pro nostri Cleri sufficienti instructione referemus; difficiliora qui videre voluerint, adibunt Suarez in 3. part. Divi Thomæ disput. 75. sect. 2. 3. 4. & 5. Eminent. Card. de Lugo de Sacramento Eucharist. disp. 19. sect. 1. & segg. Emin. Card. Bellarminum lib. 1. de Missa c. 27. Lessium in 3. p. ejusd. Divi Thomæ quest. 83. art. 1. dub. 6. Gonetum tom. 5. de Sacrificio Missæ disp. 10. art. 2. Abellyum tom. 2. part. 2. tract. 1. cap. 4. §. 2. Volpium in Resol. Moral. Verbo Missa, resol. 126. Pasqualigum de Sacrificio novæ Legis quest. 30. & segg. & Mastrium, qui alios Scritas allegat, tum in 4. sent. d. disp. 4. de Sacramento Ordinis qu. 4. art. 2. & segg. tum in Theologia Morali disp. 19. num. 33. & 35.

Conveniunt omnes supradicti Doctores, esse quinque actiones in Missa, de quibus disputari potest, an in aliqua earum consistat essentia Sacrificii? sunt autem istæ. 1. Oblatio Panis, & Vini in Offertorio. 2. Consecratio Corporis, & Sanguinis Domini. 3. Oblatio, quæ fit post consecrationem in illa Oratione: Unde & memores Domine, &c. in illis verbis: Offerimus præclara Majestati tuæ de tuis donis, ac datis Hostiam puram, &c. 4. Fractio Hostiæ, & Mixtio particulæ ejus in Sanguine. 5. Sumptio Sacramenti à Sacerdote offerente. Hæ omnes partes habent argumenta favorabilia, & argumenta contraria, Videlicet:

Pro prima actione. Sacrificium est oblatio facta Deo de re, quæ consumitur, vel immutatur. Sed 2. Sacerdos in Offertorio offert Deo Panem, & Vinum, cujus substantia consumitur, & immutatur. Ergo in ea oblatione stat essentia Sacrificii.

Pro secunda actione. Sacrificium Missæ est representativum Sacrificii Crucis, in quo Sanguis Christi fuit à Corpore sejunctus. Sed in consecratione ex vi verborum Sanguis sejunctus, & separatur à Corpore. Ergo in consecratione stat essentia Sacrificii.

Pro tertia actione. Illud est Sacrificium, in quo offertur Victimæ, quæ in eodem immolatur. Sed 4. illis verbis: Offerimus Majestati tuæ de tuis donis, ac datis Hostiam puram, Hostiam sanctam, &c. verè fit oblatio propriæ Victimæ, Corporis scilicet, & Sanguinis Christi tunc in Altari existentis. Ergo illa actio est essentialis Sacrificii.

Pro quarta actione. Id est de essentia Sacrificii incruenti, & Eucharistici, quod servatum fuit à Christo Domino in ejus institutione. Sed Christus Dominus consecratum panem fregit, deditque discipulis suis, quibus dixit, Hoc facite, &c. Ergo in fractione Hostiæ consecratæ stat essentia Sacrificii.

Pro quinta actione. Illud est de essentia Sacrificii, quod in eo omitti non potest. Sed si Sacerdos celebrans Missam moriatur ante communionem, debet alius Sacerdos etiam non jejunus sumere Sacra-

men-

6 mentum. *cap. Nihil. cap. Illud. 7. q. 1. & idem præcipitur in Rubrica Missalis. Ergo sumptio Sacramenti, & communio celebrantis est de essentia Sacrificii Missæ.*

Argumenta contra omnes actiones prædictas sunt sequentia:

7 Contra Primam actionem. Id non est de essentia Sacrificii Missæ, quod multo tempore fuit commissum ab Ecclesia. Sed illa oblatio panis, & vini in offertorio aliquando fuit omissa, quia non reperitur in Liturgiis antiquis. Ergo ipsa non est de essentia Sacrificii Missæ.

8 Contra Secundam actionem. Actio Sacrificii, quæ immolatur. Sed consecratio non est destructiva Christi in Missa immolati; imò dat ei novum esse Sacramentale. Ergo non est de essentia Sacrificii.

9 Contra Tertiam actionem. Simplex oblatio absque immutatione rei oblatæ non est sacrificium, ut probavimus supra *Decis. IV.* sed in Oblatione *Unde & memores Domine, &c.* post consecrationem res oblata non immutatur. Ergo non est de essentia Sacrificii.

10 Contra Quartam actionem. Id, quod prætermitti potest in Missa, non est essentiale Sacrificii Missæ. Sed fractio Hostiæ prætermittitur, si propter frigus, vel negligentiam dilabatur in Calicem, ut ait Rubrica Missalis *de defectib. in celebr. Missæ cap. ult. num. 10.* Ergo fractio Hostiæ non est de essentia Sacrificii.

11 Contra Quintam actionem. Non spectat ad essentiam Sacrificii, quod fieri potest extra ipsum Sacrificium. Sed Communio, seu sumptio specierum consecrarum sit ab omnibus fidelibus etiam extra Sacrificium. Ergo Communio, seu sumptio Sacramenti in Missa non est de essentia Sacrificii Missæ.

12 His tamen minimè obstantibus, ut Studiosus veram doctrinam præsentis Decisionis habeat, advertere debet, in hac questione, tres esse celebriores Theologorum sententias, quarum singulæ sunt probabiles; sed tertia, quam hic amplectemur, est probabilissima. Prima sententia est, quod essentia Sacrificii Missæ consistat in sola consecratione, ita ut communio, seu sumptio Sacramenti non sit pars essentialis, sed integralis, quæ extrinsecè tantum ad illud pertineat. Et hæc est Alani, Suarezii, Vasquezii, Coninchii, Meratii, & aliorum, quos citat Mastrius in Theologia Morali *d. disp. 19. De Sacramento Ordinis num. 32.* Secunda sententia tenet, quod sola sumptio Sacramenti in Missa sit propriè, & formaliter Sacrificium; idcirco consecrationem se habere antecedenter, veluti actionem præviā, & præparatoriam ipsius Sacrificii; & ita docent Angles, Ledesma, & alii apud Vasquez *disp. 222. cap. 3.* Tertia sententia affirmat, nec solum consecrationem, nec solum Sacramenti sumptionem integrare essentiam Sacrificii Eucharistici, sed utramque simul; & sic sustinent Eminentiss. Cardinales Bellarminus, & de Lugo, Scortia, Averfa, Abellius, Poncius, Gavatus, & alii, quos citat, & sequitur Mastrius in *4. sentent. d. disput. 4. q. 4. art. 3. & 4.* & in Theologia Morali *d. disput. 19. num. 33.*

Videamus breviter fundamenta præcipua omnium harum opinionum; & in primis illa, quæ constituunt essentiam Sacrificii Missæ in sola consecratione.

Primum fundamentum. Ibi est essentia Sacrificii, ubi sit immutatio, & destructio rei oblatæ. Sed in consecratione immutatur, & destruitur substantia panis, & vini in Missa oblata. Ergo in consecratione stat essentia Sacrificii. Hoc fundamentum communiter rejicitur, quia sequeretur, Victimam oblatam esse panem, & vinum; non autem Corpus, & Sanguinem Domini; ac ulterius Sacrificium Missæ non esset idem cum Sacrificio Crucis, in quo ipse Christus fuit immolatus.

13 Secundum fundamentum. Essentia Sacrificii consistit in occisione Hostiæ, & maceratione Victimæ, quæ immolatur. Sed hæc occisio, & macratio habetur mysticè in consecratione, in quantum per eam, vi verborum, Corpus à Sanguine separatur. Licet enim utrumque sub utraque specie per concomitantiam reperiat; hoc tamen per accidens est; verba enim Consecrationis, quantum est de se, separant Corpus à Sanguine, & compositum illud dissolvunt, atque ita Sacramentaliter illud macerant; & ipsum ponunt in Altari ut Victimam occisam, & macratam. Ita Lessius *lib. 12. de Perfectionibus Divinis num. 95.*

14 Tertium fundamentum. Ad essentiam Sacrificii non semper requiritur destructio physica, & substantialis Hostiæ oblatæ; sed sufficit, quod ipsa Hostia immutetur à suo priori statu in aliquem alium statum declivorem, & diversum à primo. Hinc 15 Sacrificia Mosaicæ non solum fiebant per animalium occisionem, sed etiam per coctionem panis, effusionem vini; & si quæ sunt similia. Sic ergo Christus in Missa Sacrificio quamvis non destruitur substantialiter, tamen destruitur modo humano; quia accipit statum declivorem à suo statu naturali, & glorioso, & transfertur in statum longè diversum ab illo; dum per consecrationem transfertur in usum cibi, & potus. Igitur in consecratione consistit essentia Sacrificii, & per ipsam ponitur in alio statu diverso, & decliviori à suo esse naturali. Ita Eminent. Card. de Lugo *de Eucharist. disp. 19. sect. 5. num. 65.* Sed hoc non placet, imò rejicitur ab Averfa *de Sacrific. Missæ quest. 11. sect. 1.* ea ratione, quia per hanc immutationem in statum diversum, & declivorem, Victimæ, quæ est Christus, nihil perdit de suo primo statu naturali. Panis autem coctus, & Vinum effusum in Sacrificiis Mosaicis amittebat priorem statum naturalem.

16 Quartum fundamentum. Quamvis in Sacrificio absoluto actualis destructio Victimæ sit de essentia Sacrificii; attamen in Sacrificio commemorativo sufficit representatio destructionis Victimæ, factæ in absoluto. Sed Sacrificium Missæ est commemorativum illius absoluti, quod factum fuit in Cruce. Ergo in Missa satis est representare destructionem Victimæ; prout facit consecratio amborum specierum, quæ representat mortem Christi. Ita Vasquez *disput. 22. cap. 7. & 8.* Et Meratius *disput. 36. sect. 4. & alii.* Porro neque hoc fundamentum placet, quia per solam representationem Sacrificii cruenti facti in Cruce, si nulla realis immutatio Hostiæ interveniret in Sacrificio incremento Missæ, hoc non esset verum, & proprium Sacrificium; sed analogè tantum, & non univocè; quemadmodum imago hominis analogè tantum, & æquivocè dicitur homo.

17 Quintum fundamentum. Essentia Sacrificii non solum consistere potest in immutatione, & destructione rei existentis; sed etiam in productione rei

17 rei non existentis, si sic legitime Sacrificium, & ad hoc sit institutum. Sed Sacrificium Missæ tali modo institutum fuit, scilicet, ut per consecrationem Christus haberet novum modum essendi sacramentaliter sub speciebus consecratis. Ergo in consecratione consistit essentia Sacrificii Missæ, per quam colitur, & honoratur Deus, ejusque supremum Dominium attestatur per novam productionem rei, non minus, quam per ei destructionem. Ita Suarez *disp. 75. lect. 1. Coninch. quest. 11. art. 1. dub. 5.* & alii recentiores. Caterum neque hoc fundamentum admittitur à Cardin. de Lugo *d. disp. 19. sect. 4. num. 52.* quia sequeretur, quod generare filios, vel fabricare Templum in honorem Dei esset Sacrificare.

Pro secunda opinione, quæ constituit Sacrificium Missæ in communione, & sumptione Sacramenti, quam facit Sacerdos celebrans, sequentia fundamenta habentur.

Primum fundamentum. In illa actione reposita est essentia Sacrificii Missæ, in qua representatur mors ipsius Christi, sicut enim in morte Christi completum fuit Sacrificium cruentum in Cruce; ita per actionem representativam mortis ejus in Missa completur Sacrificium incruentum Missæ. Sed hæc representatio mortis Christi sit in communione, & sumptione Sacramenti, ut patet ex verbis Apostoli, *1. Cor. 11. 26. Quotiescunque manducabitis panem hunc, & calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis.* Ergo in sumptione Corporis, & Sanguinis Domini stat essentia Sacrificii Missæ. Sed hoc fundamentum patitur difficultatem, quia aliàs sequeretur, quod omnes communiones, quas faciunt fideles accedentes ad Eucharistiam, essent Sacrificia.

Secundum fundamentum. Ibi est essentia Sacrificii, ubi Victimæ immolatæ fit immutatio, & destructio. Sed in Missa hæc immutatio, & destructio immolatæ Hostiæ fit in ejus sumptione; ergo sumptioni inest essentia Sacrificii. Hoc non caret difficultate; quia non sola immutatio, & destructio Victimæ facit Sacrificium, necessaria est enim præcedens ejusdem Victimæ oblatio juxta doctrinam S. Thomæ in *3. p. q. 86. art. 1.* de qua infra num. 26.

Tertium fundamentum. In die Parasceves non consecratur Hostia, sed tantum à Sacerdote sumitur. Et nihilominus in Missa recitat Sacerdos illa Verba: *Et sic fiat Sacrificium nostrum in conspectu tuo hodie, ut placeat tibi Domine Deus.* Ergo sola sumptio constituit Sacrificium; quod in Ecclesia Græca servatur etiam per plures dies Quadragesimæ. Porro hoc non subsistit; quia in die Parasceves non est propriè Sacrificium, quoniam Hostia non consecratur in Missa; per verba autem illa Sacerdotis non significatur actio sacrificandi, sed quod Corpus Christi pridè fuit in Sacrificium oblatum.

Quartum fundamentum. Illa est actio sacrificativa, per quam participamus de Sacrificio. Sed per sumptionem Specierum consecratarum fideles sunt participes Sacrificii oblatis in Altare juxta alia verba ejusdem Apostoli, *1. Cor. 10. 18. Nonne qui edunt Hostias, participes sunt Altaris,* id est Sacrificii oblatis in eodem Altari. Ergo sumptio prædicta est actio sacrificativa. At negatur minor; quia participare de Altari, non est participare de Sacrificio; laici enim sumunt de Altari Sacramentum Eucharistiæ, non Sacrificium.

D. Clericati Tom. I. Liber. III.

Quintum fundamentum ex Concilio Toletano cap. 11. Quod habetur in *Can. Relatum. De Consecrat. dist. 2.* ubi dicitur: *Quale Sacrificium erit, cui nec ipse Sacrificans particeps esse dignoscitur?* Si ergo absque sumptione non est Sacrificium, ipsa sumptio est de essentia Sacrificii.

Ultimum fundamentum; quod positum fuit in prima argumentatione. Illud est de essentia Sacrificii, quod omitti non potest. Sed si celebrans moriatur ad Altare antequam sumat Sacrificium; debet sumi ab alio Sacerdote etiam non jejuno. *cap. Nihil, cap. Illud, 7. q. 1.* & mandatur in Rubrica Missalis de defectibus, in celebrat. Missar. cap. 10. num. 3. Ergo sumptio est de essentia Sacrificii.

Tertia tandem sententia, quæ probabilissima est, & quam nos amplectimur, docet, rationem Sacrificii Missæ essentialiter consistere in utraque actione simul; consecratione scilicet, & sumptione specierum Sacramentalium; itaut neutra sine alia sufficiat; neque sola consecratio, neque sola Sacramenti sumptio integrare valeat essentiam Sacrificii Eucharistici; sed utraque sit necessaria ad ipsam essentiam integrandam; & in hoc sensu accipienda sunt fundamenta posita supra tam pro consecratione, quam pro sumptione; prout illa accipiunt Auctores hujus tertie opinionis, inter quos Eminentiss. Cardin. Bellarminus, & de Lugo, Scortia, Averla, Amicus, Hiquens, Poncius, Gavius, & alii relati per Mastrium, qui pariter ita sentit *d. disp. 4. q. 4. num. 77. in 4. sent. & in Theologia Morali d. disp. 19. num. 34.*

Rationes autem demonstrantes, Consecrationem, & Sumptionem spectare ad essentiam Sacrificii in Missa, præter supradicta fundamenta, sunt sequentes. Prima; quia de essentia Sacrificii est oblatio Victimæ immolatæ, & ejusdem Victimæ oblata destructio; prout de oblatione ostendimus supra *Decis. IV.* & de Victimæ destructione *Decis. X.* Modò consecratio, quam Sacerdos gerens personam Christi facit in Altari, habet rationem oblationis externæ, & sensibilis requisitæ ad Sacrificii proprietatem. Id probatur ex Concilio Tridentino *sess. 22. cap. 1. & can. 2.* ubi docet, Christum dedisse Apostolis, eorumque successoribus potestatem offerendi Sacrificium Missæ illis verbis: *Hoc facite in meam commemorationem.* Ergo ex Patribus Concilii, & ex ipso Concilio consecrare, & offerre est unum, & idem. Verba Concilii in *d. cap. 1.* sunt hæc: *Eisdem (Apostolis) eorumque in Sacerdotio successoribus, ut offerrent, præcepit, per hæc Verba: Hoc facite, &c.* Et idem Concilium in *Can. 2.* sic loquitur: *Si quis dixerit illis verbis, hoc facite, &c. non ordinasse, ut ipsi, aliique Sacerdotes offerrent Corpus, & Sanguinem suum; Anathema sit.* Igitur dum Sacerdos celebrans consecrat Hostiam, & calicem; simul, & eodem tempore facit Aeterno Patri oblationem Corporis, & Sanguinis JESU CHRISTI Filii ejus; quæ quidem oblatio expressè designatur in elevatione Hostiæ, & Calicis, quam in omnibus Liturgiis, etiam Ecclesiarum Orientalium, fieri demonstrat Eminentiss. Cardin. Bona *Rerum Liturgic. lib. 2. cap. 13. num. 2.* & habet relationem tum ad oblationem in Sacrificio cruento Crucis, quam de se fecit Summus Sacerdos Christus, quando in ea elevatus, *Tradidit semetipsum pro nobis Oblationem, & Hostiam Deo in odorem suavitatis. Ephes. 5. 2.* tum ad oblationes victimarum, quas faciebant Sacerdotes Aaronici elevantes eas

T

coram

coram Domino, ut legitur in *Exod. cap. 19. vers. 24. & 26. In Levitic. cap. 23. vers. 11. & 20. & in Numer. cap. 5. vers. 25. cap. 6. vers. 10 & cap. 8. vers. 21.* quæ quidem figurabant Sacrosanctum Missæ Sacrificium.

Secunda ratio deducitur ex forma ordinationis Sacerdotum, in qua ordinando dicitur: *Accipe potestatem offerendi Sacrificium Deo, &c.* In illa autem forma Sacerdos accipit potestatem consecrandi, Ergo consecrare, & offerre; consecratio, & oblatio sunt unum, & idem in Sacrificio Missæ; & per consequens Sacerdos consecrando offert, & dum facit consecrationem, facit etiam oblationem.

Tertia ratio addi potest, quia tunc Victimæ dicitur Deo offerri, dum supra Altare colloca ut in protestationem Divinæ excellentiæ, & nostræ subjectionis; & ut ex hebraico colligitur, offerre significat Hostiam ad immolationem adducere; & rem immolandam ponere in conspectu Domini; ut de Sacrificiis Abelis, & Caini legitur in *Genesi cap. 4. vers. 3. & 4. & de Sacrificio Gedeonis in Lib. Judic. cap. 6. vers. 19.* Igitur cum ex vi verborum consecrationis Corpus, & Sanguis Christi ponantur super Altare sub speciebus; rectè infertur, consecrationem habere vim oblationis; & per consequens ipsam consecrationem attingere essentiam Sacrificii, positam in rei immolandæ oblatione.

Neque obstat, si quis dicat, fieri à Sacerdote oblationes verbales tum in Offertorio, tum post elevationem Calicis. Quia respondetur, oblationes illas verbales spectare ad caeremonias, non autem ad essentiam Sacrificii; quæ attingitur ab ipsa oblatione reali per adductionem Victimæ in Altare, mediante consecratione; non enim requiritur, ut in Sacrificio fiat oblatio, Victimæ expressis verbis; sed sufficit, si fiat tantum re; cum non in verbis, sed in rebus Sacrificii essentia consistat; & Sacrificium non in verbis, sed in actione compleatur. Exemplum sit de Abrahamo sacrificaturo filium suum; à quo nulla verba scimus fuisse prolata; sed alligatum fuisse Isaac; & ad ejus immolationem in Dei honorem processisse, extensa manu, & arrepto gladio; ita ut illius Sacrificii oblatio consisteret non in verbis, sed in actione. Igitur firmum remanet, Consecrationem esse partem essentialem Sacrificii Missæ tum ex fundamentis relictis in prima sententia; tum præcipue quia continet in se oblationem, quam Sacerdos, consecrans Species, facit in persona Christi, de iisdem Species consecratis, in quibus continetur Victimæ, quæ immolatur, nempe ipse Christus.

Altera pars essentialis ejusdem Sacrificii Missæ est consummatio specierum, & sumptio Sacramenti ex fundamentis congestis pro secunda sententia; inter quæ illa duo præcipua, quod de essentia Sacrificii est mactatio, & immutatio Hostiæ, & hæc fit in Missa per sumptionem Sacramenti, & quod Ecclesia præcipit, casu quo moriatur celebrans post consecrationem, & ante Communionem; quod alius Sacerdos, etiam non jejunus debeat supplere, sumere, & communicare; quia magis importat essentia Sacrificii, quam observatio præcepti de jejunio in Communionem.

Neque officii, si quis inculcet, & dicat; si consecratio, & sumptio Sacramenti sunt de essentia Sacrificii, ergo in Missa non unum, sed duo sunt Sacrificia; primum in consecratione; alterum in

sumptione. Respondetur, negando assumptum, & dicendo; Sacrificium Missæ institutum esse à Deo in sui honorem, & cultum in his duabus partibus essentialibus, consecratione, & sumptione; quæ propterea non constituunt duo Sacrificia, sed unum; quemadmodum in Lege veteri Holocaustum consistebat in mactatione Victimæ, & in ejus combustione; ac proinde mactatio, & combustio non erant duo; sed unum sacrificium; ut doctè differit Mastrius in 4. *Sentent. d. disp. 4. quest. 4. num. 93.* ubi contra Cardinalem de Lugo sustinet; sumptionem Specierum consecratarum in Missa esse partem essentialem Sacrificii, quia per ipsam immutatur, & destruitur Victimæ immolata, quod est de essentia Sacrificii.

Ex hucusque dictis duo corollaria sunt notanda. Unum est, quod licet utraque actio, nempe consecratio, & sumptio essentialiter constituent Sacrificium Eucharisticum; nihilominus consecratio se habet magis principaliter, tum quia provenit immediate à potestate Sacerdotali, quæ principaliter confertur ad sacrificandum, ut constat ex forma Sacerdotii tradita à Concilio Florentino his verbis: *Accipe potestatem offerendi Sacrificium in Ecclesia, &c.* Sacrificium autem cadit super consecrationem Corporis, & Sanguinis Christi; & hæc est prima & principalis actio Sacerdotis; tum etiam quia actio conficiendi Sacramentum est magis digna, quam actio sumendi; hæc enim etiam à Laicis fit, & fieri potest; non etiam illa, nisi à solis Sacerdotibus, qui ulterius non consecrant in persona propria, sed in persona Christi; cujus Passio præcipue repræsentatur in consecratione.

Aliud corollarium est, quod ubi deficit consecratio, ibi non est Missa; & quamvis à Sacerdote recitetur Missa sicca in die festo, non est obligatio illam audiendi. Dicitur Missa sicca, quando deficiente opportunitate verè sacrificandi, ob devotionem vel exercitias, vel navigantium, vel alicujus infirmi, Sacerdos indutus sacris vestibus recitat totam Missam, omittis verbis consecrationis, ut refert Durandus de *Divin. Offic. lib. 4. cap. 1. num. 23.* Henriquez in *Summa lib. 9. cap. 27. num. 3.* Sed utrum sit licitum celebrare Missam siccam? disputant Moralistæ, quos allegat Diana *Coordinatus tom. 2. tract. 1. resolut. 144.* Lezana in *Summa tom. 4. Verb. Missa num. 56.* Cotonius in *suis Controvers. lib. 2. Controvers. 5. cap. 3. num. 61.* Bissus in *Hierurgia tom. 2. Verb. Missa sicca*, & Gobat in *Theolog. Experiment. tract. 3. num. 20.* ubi alii negant; & alii affirmant; nam ex una parte videtur quædam irritio rei Sacræ recitare Missam institutam ad consecrandum, & non consecrare; at ex alia satisfaciendum censetur pietati fidelium illam cupientium audire, cum vero Sacrificio interesse non possint. Hinc Sanctum Ludovicum Galliarum Regem, jam in captivitate penes Saracenos detentum, solitum fuisse, hanc Missam siccam audire; quotidie, refert Guilielmus Carnotensis in ejus vita his verbis: *Totum officium Missæ absque Sacramenti consecratione assidue cum uno Presbytero predicatore, me adjuncto, sibi tunc temporis clerico suo, jugiter exolvebat devoto corde.* Idem affirmat Gaufridus in vita ejusdem Sancti; quam Missam sine Canone appellat. Idcirco Doctores dicunt, non esse prohibitum Missam siccam celebrare, in defectu veri Sacrificii, ubi concurrat vehemens devotio adstantium vel

vel ubi talis vigeat consuetudo; quam adhuc extrare, præsertim in tristemis Melitenibus testatur Magrius in Hierolexic. Verb. Missa sicca col. 2. contra Quartum in Rubric. Missalis part. 1. titul. 14. dub. 4. S. Dico 3.

Sed nec illud omittendum, quod notat Gobat d. tract. 3. numer. 71. videlicet, non peccate pueros, qui domi Altariola excitant, atque in iis sacra sicca faciunt ex mera pietate; sine prolatione verborum consecrationis, & usu vasorum, seu Vestium Sacrarum, ut de Sancto Francisco Borgia puerulo refert Sacchinus in Histor. Societ. part. 3. libr. 8. num. 40. Ego tamen graviter increpavi, dum Vicarii Generalis munere fungerer hic Patavii, quemdam juvenem plebeum, satis ingeniosum, sed inimicum laboris, qui ad carpendas elemosynas, non solum auditas à Prædicatoribus conciones, more prædicatorio in viis recitabat; sed etiam domi, structo Altari, quasdam vestes laceras induibat, & Missam siccam celebrabat; non ex devotione, sed ex quadam otiositate, & vanitate; concurrentibus mulierculis ad idem opus. Ideo ei minatus fui carcerem, & verbera; & jure quidem; nam quemdam Cyrillum Pastorem similia agentem, & ausu temerario super panem sacrosancta verba proferentem ignis de cælo missus è vestigio, uni cum sociis adstantibus, consumpsit; ut ex Clichtoveo, & ex Dauroutio cap. 5. titul. 1. refert ipsemet Gobat in citat. tract. 3. num. 66. & 67. subdens ibidem numero 68. peccare mortaliter Sacerdotem celebrantem, si tam alta voce verba consecrationis proferat, ut distantes ab Altari 40. passus illa intelligant, ex Gavanto part. 1. titul. 16. num. 1. ubi DD.

DECISIO XXXII.

ARGUMENTUM.

Utrum in Sacrificio Missæ, de ejus essentia sit consecrare utramque speciem, Panem scilicet, ac Vinum? Argumenta septem pro negativa, & totidem pro affirmativa. Hujus ratio præcipua quæ sit? Missa nunquam celebrata cum una sola specie. Fabulosum, quod Innocentius VIII. concesserit Norvegiis celebrare sine Vino. Quis fuerit Cleophas vadens in Emmaus, & an ibi Christus consecraverit Eucharistiam? Celebrare cum una sola specie nunquam licitum, neque ex dispensatione Papæ; Rubrica Missalis declarata circa plures defectus specierum.

SUMMARIUM.

- 1 Sacrificium Missæ an de essentia exigat consecrationem utriusque speciei?
 - 2 Definitio ubi adaptatur, ibi est essentia rei definita.
 - 3 Definitio Sacrificii verificatur in consecratione unius speciei tantum in Missa.
 - 4 Consecratio unius speciei stare potest sine altera.
- Doct. Clericali Tom. I. Lib. III.

- 5 Representatio mortis Christi habetur in una sola specie consecrata.
- 6 Efficacia representativa Sacrificii crucis videtur esse in consecratione tam unius speciei, quam ambarum.
- 7 Mors Christi representatur in Hostia, qua communicantur Laici.
- 8 Corpus Christi in ultima cæna consecratum non erat exanguis.
- 9 Christus in Emmaus solam panis speciem consecravit.
- 10 Sacrificium Missæ ad hoc est institutum à Christo, ut expresse representet ejus mortem in Cruce, & num. 19.
- 11 Representatio mortis Christi in Cruce expressa haberi non potest in Missa, nisi in consecratione ambarum specierum.
- 12 Celebrare cum una sola specie esset contra institutum Missæ.
- 13 Melchisedech obtulit panem, & vinum.
- 14 Remissio peccatorum non fit sine sanguinis effusione.
- 15 Missa nunquam facta fuit cum una sola specie Sacramentali.
- 16 Innocentius VIII. dispensasse cum Norvegiis, ut missarent sine Vino, est falsum.
- 17 Missa est unum Sacrificium, non duo.
- 18 Rubrica Missalis cur velit iterum consecrari speciem jam sumptam, etsi valide consecratam?
- 19 Missa debet expresse representare Sacrificium Crucis.
- 20 An nulla sit consecratio unius speciei, quando non intenditur consecrare alteram? & num. 21.
- 22 Sacramentum cur subsistat in una sola specie, non autem subsistat Sacrificium?
- 23 Ratio Missæ pendet à voluntate Christi instituentis.
- 24 Christus totus est sacramentaliter tam in una quam in alia specie consecrata.
- 25 Hostia, qua communicantur Laici, est pars vitæ immolata.
- 26 Missa est ad formam Sacrificii Eucharistici oblata à Christo in cæna, etsi ibi representata sit mors ejus futura, in Missa representetur mors præterita.
- 27 Cleophas unus è duobus discipulis euntibus in Emmaus, quisnam fuerit.
- 28 Eucharistiam consecratam esse à Christo in Emmaus. Contrarium num. 29.
- 29 Sacrilegium grave esset, velle celebrare consecrando tantum speciem.
- 30 Celebrare Missam cum una specie tantum nunquam est licitum.
- 31 Pontifex an possit dispensare, ut Missa dicatur cum una specie sola?
- 32 Inadvertentia inculpabilis excusat consecrantem unam solam speciem.
- 33 Consecratio noviter facienda in Missa, si prima fuerit invalida.
- 34 Sumpta Hostia consecrata, cur alia sit consecranda, una cum alio vino, si reperitur defectus in vino?
- 35 Scandalum, ut evitetur, sufficit consecrare solam speciem pro illa, qua reperta est inepta post sumptionem alterius.
- 36 Sacerdos si moriatur ad Altare post consecrationem, quid agendum?